

CAPUT XLVII.

SENTENTIÆ ET EXEMPLA, QUÆ
patientia, qua consolationis.

ACTOR. 14. *Per multas tribulationes
oportet nos intrare in Regnum
DEI.*

QUANDOQUIDEM vita hominis Chri-
stiani in hoc mundo nihil aliud
est, quam crux & tribulatio, per
quam nos oportet intrare in Regnum
Dei: idcirco necesse est ut patientia
nos muniamus, illamque à Deo impe-
tremus. Non enim ut modo dicebam
ad delicias & voluptates, sed ad passio-
nem & patientiam nati sumus. De quo
ampli⁹ dicturi, age materiam univer-
sam in tres partes dividamus: puta in
sententias sive testimonia; in exem-
pla; & in consolationes.

1. *Dicta & testimonia Scripturae.*

*Quid sit
Patien-
tia.*

Patientia est virtus, quæ mansueto,
tranquillo, humili, & morigero animo
cruci se submittit; omne genus adver-
sitatum, tribulationum & persecutio-
num, sive corporalium, sive spiritua-
lium, velut Christi crucem & jugum in se
recipit, Christum sequitur, contra De-
um non murmurat, sed in fide agnoscit
habe-